

Chrisma dumtaxat adjungunt. *Chrisostomus*, *Cyrillus*, & *Theophilactus* non septem, sed duo Sacraenta agnoscunt. Tria agnovit *S. Gregorius*: Baptismum nempe, Confirmationem, & Eucharistiam. Quid plura? fides Græcæ Ecclesiæ duo Sacraenta agnoscit: Baptismum & Eucharistiam, nec ampliorem numerum se profitetur habere, ut ex *Cyrilli Lukaris Patriarche Constantinopol.* fidei confessione, anno 1633 græce edita constat. Verum vana hæc omnia Novatorum argumenta esse, ipsosque magno conatu maximas nugas agere, & prorsus ineptire, responsio nostra declarabit. Primo quidem si non sufficit, quod res ipsæ enumeratae in Scripturis tradantur, sed definitum numerum quærimus, nec duo, nec tria, nec quatuor; imo nec Sacramenti dimidium admittere licet. Quare? quia definitum numerum in Scripturis nullibi habemus. Quid si aliquis diceret: nec quatuor sunt Evangelia, nec quatuordecim Paulinæ Epistolæ, nec septem verba a Christo Domino in Cruce prolata, quia harum rerum numerus non legitur definitus? Ne istæ optimæ illationes? Secundo argomento refellendo nolumus tempus insumere; est enim argumentum mere negativum, ex Patrum silentio deductum, cuius nullam vim esse (quod advertendum erat ab *Osiandro*, qui se emuncte naris crititum jaεtat) inde patet, quod *Patres Sacraenta, ex occasione explicant, non autem ex professo enumerant.* „Tamen metti enim, inquit *Arcadius*, numerum Sacraentorum antiqui auctores non expresserint, expressuri sane, si suo ævo Sacramentarii exitissent, res tamen ipsas, ubi se se offert occasio tractant. Falsitatis vero merito arguendi Novatores, dum Romanam Ecclesiam a fide descivisse clamant, motam auctoritate Scholasticorum. Vere facta est illis frons meretricis, nolunt erubescere. Credit igitur Ecclesia propter concordem Theologorum sententiam, an vero ideo concors Theologorum sententia circa septenarium numerum Sacraentorum, quia id concorditer in universam Christi tenet Ecclesia? Quod ex Patribus opponunt, sublesta fidei argumentum est; nam *S. Justinus* loquutus est de Eucharistia, ut Christianos ab Infidelium calumniis vindicaret, qui nostris imponebant, in Sacris Synaxibus occisi infan-